FRANCISCUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei

Venerabili Fratri Vidoni Ivano Minda Chalá, hactenus Episcopo titulo Nideno in Lycia et Auxiliari Guayaquilensi, ecclesialis communitatis Sanctae Helenae noviter erectae primo electo Episcopo, salutem et Apostolicam Benedictionem. Mandata accepta tenentes, eadem inscribamus in latitudine cordis nostri, profectum fidei tamquam summum viaticum omnibus in adiunctis nobis habeantes, quae instar sinapis seminis in modico grano plures ramos circumplectitur (cfr. s. Cyrillus Hierosolymitanus, Catecheses 5,12). Quae dum una cum pastoralibus necessitatibus dilectissimi gregis in Aequatoria pascentis meditamur, ubi hoc ipso die per Apostolicam Constitutionem In templo Christum novam dioecesim Sanctae Helenae inscriptam nomine erigimus, eiusdem felici administrationi providere satagentes, idoneum Pastorem ei adhibere properamus. De te ergo, Venerabilis Frater, cogitamus, qui in labore tuo Episcopi Auxiliaris Guayaquilensis cordis et intellectus ostendisti dotes et idoneus Nobis ad hunc gregem videris moderandum. Proinde, audito consilio Congregationis pro Episcopis, Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine, harum Litterarum virtute, superioris Ecclesiae vinculo et et Auxiliaris munere resolutis, primum te Episcopum noviter erectae dioecesis Sanctae Helenae constituimus, debitis concessis iuribus congruisque impositis obligationibus. Hoc de Nostro decreto te edocere volumus clerum et populum huius ecclesialis communitatis, quibus praestet Deus, ut, quemadmodum, te moderante, dominicam cognoscunt veritatem, sic eam, tuo iugi roborati exemplo, dignis moribus assequantur et ad novitatem vitae de vetustate transire valeant, videntes suavitatem Domini et misericordiam eius (cfr. Ps 27,4.13). Datum Romae, apud S. Petrum, die secundo mensis Februarii, in Praesentatione Domini, anno bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri nono.

Franciscus

franciscus P.P. Pont. Apost.

COPIA DE LA BULA ORIGINAL
QUITO, 28.03.2022

NUNCIATURA APOSTOLICA EN EL ECUADOR
QUITO